

et Romano an. 366. damnarunt formulam Ariminensem, et Patres non nisi de subscriptione pœnitentes, admiserunt in communionem; ergo in utroque hæresis admittenda est.

R. N. Ass. Deceptos enim fuisse Patres, ac detecta fraude continuo reversiones ad explicitam fidei professionem, docuimus superius, *Scire autem debemus*, ut FACUND. L. 12. c. 1. ait, *quod hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est, sed potius obstinata defensio falsitatis.* Quare nomine defectionis a fide, veneni Ariani et Ariani dogmatis hi Patres intellexerunt duntaxat defectum quemdam in professione fidei, communionem cum Arianis Orthodoxos se mentientibus, et subdolæ ecthesi approbationem ex imprudentia datam.

Ad Conf. R. N. Cons. Triplici ex capite rejecta postmodum ab Ecclesia est Ariminensis formula; primo quidem, quia minus quam oportebat profitebatur: dein quia ad abolendam Nicænam formulam condita erat: demum quia ab Arianis in hæreticum sensum detorquebatur. Nec minus recte exigebant a Patribus pœnitentiam; tum quia ab eorum facto non aberat ignavia quædam ac imprudentia: tum quia externa cum hæreticis communicatio et suspicionis a mendaci Ariatorum gloriatione aspersæ macula detergenda erat. *Decretum tamen est*, verba sunt ATHANASII in ep. ad Rufinianum, *ut eis et venia concedatur, et in clero detur locus, potissimum quia consentaneam attulerunt excusationem, et quod æconomia quadam id factum videatur: affirmabant quippe se minime in impietatem lapsos esse; ideoque* HIERONYMUS l. c. quærit: *Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? cur denique bene credentes obstinatione sua facerent Arianos? Ex quibus patet cum veritate antecedentis stare consequentis falsitatem.*

332. Dico III. Facto de Ariminensium perfidia supposito falso, nequit dici Ecclesia errasse in fide.

Prob. Facto hoc supposito dici posset Ecclesia errasse in fide, vel quia Concilium errans erat Œcumenicum; vel quia Patres errantes erant potissima pars Ecclesiæ; vel quia error Concilii et Patrum erat communis reliquæ Ecclesiæ: sed nulla ex his est causalis vera; ergo.

Prob. min. p. 1^a. Concilium Ariminense neque fuit conjunctum et unum cum Seleuciensi; neque si fuit cum illo unum, habuit necessarias Œcumenici conditiones.

1^{um}. patet 1^o. ex consilio Ariatorum, qui juxta ATHAN. L. de Syn. n. 7. *metuentes, ne Episcopis unum in locum congregatis vana foret eorum sollicitudo, rogarunt Synodum duas dividi in partes; ut separatim quæ scripserunt exhibentes, majorem eorum numerum minis Constantii intentatis subornare possent:* 2^o. ex voluntate Constantii, qui in Litteris ad Ariminenses datis (HILAR. fragm. VII. n. 2.) scribit: *Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri: proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis:* 3^o. ex actis utriusque Concilii plane diversis, quæ num. 326. retulimus.

2^{um}. ostenditur. Œcumenicum enim concilium oportet, ut 1^o. convocetur a Papa ipso, vel eo saltem consentiente, illeque eidem vel per se vel per Lega-

tum præsideat; 2^o. ut Episcopi nec inviti ad illud cogantur, nec ab eo excludantur non excommunicati; 3^o. ut ex præcipuis Ecclesiæ partibus convocati reipsa adsint. Hæc vero conditiones omnes hic desiderantur. Non enim 1^o. LIBERIUS consenserat in hanc synodum, ut ipse in ep. ad Orient. apud Socrat. l. 4. c. 12. docet, nec eidem aderat aut præsidebat, ut Damasus in ep. ad Illyrios (Labb. t. 2. p. 883.) demonstrat: 2^o. Episcopos *vi coactos* ATHAN. de Syn. n. 7. testatur; exclusos autem fuisse ATHANASII, EUSEBIUM VERCELLENSEM, LUCIFERUM CALARITANUM aliosque Episcopos Ægypti et Lybiæ sexdecim, tum horum exilium, tum Ariatorum consilium a THEODORETO L. 2. hist. c. 18. expositum declarant: 3^o. Nationalia autem duntaxat fuisse concilia, aut ad summum Ariminense pro Occidentis, Seleuciense pro Orientis Synodo haberi posse, tum ex probata utriusque distinctione, tum ex dicendis manifestum est.

Prob. p. 2^a. Patres errantes non erant potissima Ecclesiæ pars, nec dignitate, quia ex dictis Pontifex Romanus nec ipse nec per Legatos aderat, et Alexandrinus Patriarcha ATHANASII exilio iniquo retinebatur; nec numero, ut ostenditur. Nam collecti etiam unum in numerum utriusque Synodi Patres non superant sexcentos: sed hunc numerum non fuisse præcipuam partem Episcoporum ea ætate Ecclesiam regentium, colligitur.

1^o. Si Episcoporum seculo IV. existentium numerus universim ineatur; de eo enim AUG. L. 3. cont. Crescon. c. 3. scribit: *Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris vel aliquando etiam pluribus contra tot millia Episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit.* Item Serm. 2. in Psal. 36. n. 23. ait: *Millia Episcoporum per orbem terrarum, qui damnarunt a parte Cæcilianus Donatum, nihil ponderis apud te habere putas, et in ep. 163. (al. 43. n. 11.) ad Glor. et Eleus. Millia quippe Collegarum transmarina restabant, ubi apparebat eos judicari posse, qui videbantur Afros vel Numidas collegas habere suspectos: quin et in ep. 164. (al. 87. n. 1.) ad Emerit. dicit Ecclesias Orientalium innumerabiles.*

2^o. Si ad numerum Episcoporum in Provinciis certis attendatur. Et quidem SOZOM. L. 6. hist. c. 12. loquens de Episcopis solius Africae, Italiae, Galliae et Siciliae, quorum subscriptiones in Nicænam fidem a deputatis Concilii Lampsaceni delatæ sunt an 365. ad Episcopos Tyanis congregatos, dicit eos *multo plures* his qui Arimini fuerant. Ex sola Africae parte, quæ Primatui Carthaginensi subest, ad Collationem an. 411. Carthagine celebratam confluxerunt 286. Episcopi Catholici; 120. Episcopi Orthodoxi autem vel senio, vel morbo, vel aliis malis impediti adesse eidem non poterant, ut ex actis illius Collationis apud AUGUSTINUM in Brevic. Collat. part. 1^a. c. 14. constat: in Alexandrino Concilio an. 321. habito ex sola Ægypto et Lydia convenerunt 100. Episcopi: in Achaia tot erant Episcopi, ut AUG. L. de unit. Eccl. c. 12. quæreret: *Quot putatis esse Ecclesias in universa Achaia? in insula Cypro non admodum magna plures fuisse Episcopos ex Socr. L. 6. c. 10. et SOZOM. L. 7. c. 19. liquet, quia ille Episcoporum Concilia ibi habita narrat, hic autem et in pagis Episcopos ordinari perhibet.*

3^o. Si numerentur Ecclesiæ, quæ sub Constantii imperio non fuerant, adeoque earum Episcopi non erant convocati; quales erant Armenicæ, Arabicæ, Persicæ, Indicæ, aliæque oppido multæ: aut quarum vel pauci admodum vel nulli prorsus Episcopi illa ad Concilia venerant; ut ex

Provinciarum multitudine et raritate Episcoporum ex his Provinciis illis in Synodis præsentium est manifestum.

Prob. p. 3^a. Ecclesiarum reliquarum integritas et in fide constantia (præter Monachorum in Ægypto Nicænae fidei adhærentium multitudinem, de qua testis est ATHANASIUS; et apertam plebis Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, Antiochenæ, Samosatensis ac Mediolanensis Arianis definitionibus reluctantis professionem) probatur in primis universim tum ex ep. syn. Conc. Alexandrini an. 363. ad Jovianum missa (Labb. t. 2. p. 823.) quæ sic habet: Scito, religiosissime Auguste, hanc fidem omnibus seculis fuisse prædicatam. Hanc professi sunt Patres qui Nicææ convenerunt. Cum hac consentiunt omnes ubique gentium Ecclesiæ quæ sunt in Hispania et Britannia, et Gallia, et quæ in Italia tota, et Dalmatia, Dacia et Mysia, Macedonia et tota Græcia, quæque in Africa cunctæ, et Sardinia, et Cypro, et Creta, Pamphylia et Lycia et Isauria, et quæ in tota Ægypto, et Lybia, et Ponto, et Cappadocia, et quæ sunt vicinæ nobis, et Orientales Ecclesiæ omnes, præter paucos, qui cum Ario sentiunt. tum ex ep. DAMASI ad Illyricos apud Theodoret. L. 2. c. 22., ubi hæc habentur: Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia exspectanda erat sententia, neque Vincentium (Capuanum) qui tot annorum Episcopatum integre gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum: maxime cum isti ipsi, sicut diximus; qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliore consilio hæc sibi displicere testati sunt. Unde advertit sinceritas vestra hanc solam fidem quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam, atque hac nobiscum Orientales qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari.

Deinde probatur speciatim, quasdam Provincias enumerando. De Ægypto quidem patet ex pluribus Alexandrinis Synodis contra Arium primò ac post contra Arianos celebratis; quin et ex ipsa Seleuciensi, ubi, loquente cont. Constant. (n. 12.) HILARIO, Soli Ægyptii præter Alexandrinum hæreticum, (Georgium) ὁμοούσιον constantissime obtinuerunt. De Africa testatur HILAR. L. cont. Constant. n. 12. scribens: Mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus blasphemiam Valentis et Ursacii condemnaverant, reddi; renitentibus comminatis et postremum ad diripiendos mittis. Item OPTAT. MILEV. L. 2. de Schism. Donalist. cont. Parmen. n. 15. 16. Etenim cum Africanos populos et Orientales et cæteros transmarinos pacè una conjungeret, et ipsa unitas, representatis omnibus membris, corpus Ecclesiæ coagularet..... Deinde, ut nobis notum est, secutus alius Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens... Apostatam se edictis suis testatus est etc. SOCRAT. L. 3. c. 6. de Illyrico ita scribit: Opinionem Arii ad Illyrici usque provincias minime penetrasse, et inductam ab illo novitatem Ecclesiæ illic sitas decipere nequaquam valuisse: sed eam fidem, quæ initio ab Apostolis tradita, et postea in Concilio Nicæano confirmata est, ab incolis constanter retineri. Testis pro Persia est SOZOMENUS, qui L. 2. hist. c. 9. et seqq. regnante Sapore, qui ab an. 310. per 70. annos imperasse fertur, viginti quatuor Episcopos pro divinitate Christi cum pluribus aliis occisos recenset: Pro Gallia, Hispania, Italia et aliis Occidentis æque ac Orientis Provinciis faciunt Concilia post Ariminensè statim celebrata, de quibus ATHAN. in ep. ad Rufin scribit: Scito... id ipsum hic et ubique placuisse, nimirum ut iis qui lapsi sunt, et impietatis fuerint

præfecti, venia concedatur, siquidem resipiscant; nec detur tamen in Clero locus: iis vero qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuerunt, decretum est ut venia concedatur, et in Clero detur locus.

333. *Nec dicas 1^o. Ariminensè Concilium plures ex Oecumenicis Synodis frequentia Episcoporum superavit: videtur fuisse unum cum Seleuciensi, quia in Seleuciensi HILARIUS ex Occidente, in Ariminensi DEMOPHILUS BEROEENSIS ex Oriente præsentis fuerant: a S. HILARIO in Fragm. VII. n. 2. 4. appellatur Catholicum; ergo pro Oecumenico est habendum.*

R. T. A. N. Cons. Nec enim 1^o. numerus Generale Concilium facit, sed conditiones aliæ superius adductæ; præsertim cum ex omnium consensu Conc. Carthaginensè sextum et Francofordiense fuerint particularia, quantumvis præ pluribus Generalibus frequentiora numerarentur: Nec 2^o. sola præsentia HILARII in Seleuciensi, et DEMOPHILI (de quo tamen nihil certi afferri potest) in Ariminensi ostendit utriusque Concilii communicationem; sed vel Occidentis ac Orientis mandatum et legatio, vel litterarum et consiliorum mutuam commercium doceri oportet: quod tamen adeo fieri nequit, ut potius contrarium a nobis sit demonstratum: Nec 3^o. vox Catholicum Ariminensi attributa, pro nota Conc. Oecumenici habetur; cum et Sirmiensi primo hoc prædicatum a VIGILIO TAPSENSI adjectum supra dixerimus, et ea vox communius vel ad Episcopos congregatos vel ad materiam definitam referatur.

334. *Nec dicas 2^o. Potissima Episcoporum pars Ariminensium perfidiam illius Concilii ætate vel sponte sequebatur, vel sequi compulsæ est. I^{um}. Patet 1^o. Ex HILARIO, qui L. de Synod. n. 63. scribit: Absque Eleusio Episcopo et paucis cum eo, ex majori parte Asiæ decem Provincie, intra quas consisto, vere Deum nesciunt. 2^o. Ex AUGUSTINO, qui ep. 48. (al. 93. n. 31.) ad Vincent. ait: Illi qui tunc firmissimi fuerunt et verba insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum. 3^o. Ex GREG. NAZIANZENO cujus hæc in Orat. 21. n. 23. 24. sunt verba: Si perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti sunt, vel ob virtutem restiterunt..... omnes tempore obsecuti sunt. Hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt etc. II^{um}. Liqueat 1^o. Ex GREG. NAZ., qui l. c. hæc præmittit: Hinc alii ab Ecclesiarum thronis injuste pellebantur, alii in eorum locum surrogabantur, sic tamen ut ab iis chirographa impietatis, non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent; atque in promptu atramentum erat, et calumniator a tergo. Ea res permultos a nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit; qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversim acti sunt, atque cum illis utroque nomine improbis consenserunt. 2^o. Ex persecutione Constantii post Conc. Arimin. per Ursacium et Valentem exercita, vi cujus qui Ariminensi formulæ subscribere nollent, expellebantur ab Ecclesiis; ut Socr. L. 2. c. 37. SOZOM. L. 4. c. 26. narrant.*

R. Ad prob. part. 1^æ. HILARIUM, ut olim a Donatistis apud AUGUSTIN. in ep. ad Vincent., sic nunc ab Heterodoxis et Jansenianis infeliciter obijci. Nam 1^o. loquitur tantum de decem Asiæ minoris Provinciis, quæ non nisi tertiam

Patriarchatus postea Constantinopolitani partem faciebant : 2º. loquitur tantum de *majori parte* harum Provinciarum : 3º. rationem hujus mali reddidit his verbis : *Male enim per quosdam impietati auctoritas data est ; et ex illis Episcoporum, quorum causam non ignoratis, vires auctæ sunt profanorum.* Cum ergo Episcopi exules etiamnum veri Asiæ Episcopi permanserint, ex horum constanti fide vis omnis objectioni detrahitur.

De eodem loco et modo eodem loquitur AUGUSTINUS. Nam ubi objectionem aggreditur, sic inquit : *Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius, unde putasti insidiandum contra testimonia tot divina, tanquam perierit Ecclesia de toto orbe terrarum.* In ipsa autem responsione similiter 1º. dicit (n. 32.) : *Hilarius ergo decem provinciarum Asianarum aut zizania, non triticum, arguebat ; aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius tanto utilius arguendum putabat : 2º. majorem tantum Provinciarum Asianarum partem etiam ab AUGUSTINO accipi liquet ex ipsa objectione : quin 3º. nec illam re ipsa adhæsisse hæresi Arianae nec in errore perseverasse, manifeste ostendit interrogatio ibid. n. 31. inserta : Quis nescit illo tempore obscuris verbis multos pravi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant? alios autem timore cessisse et simulate consensisse, quibus tu postea correctis nolles ignosci? Tandem ipsius epistolæ argumentum, quod magnam partem in Ecclesiæ per orbem dispersæ perpetua integritate probanda versatur, non sinit AUGUSTINI mentem nobis contrariam haberi.*

Quod GREGORIUM attinet, is nec intelligendus est de orbis totius Episcopis ; sed ad summum de Episcopis sub Constantii imperio, utpote de cujus persecutione loquitur : nec de omnibus imperii provinciis ; cum ex nuper dictis contrarium de Ægypto, Africa, Illyrio, Italia, Hispania, Gallia et aliis provinciis Patres alii testentur : nec de Episcopis eodem tempore existentibus ; cum ejus Sermo agat de omni, quod 25. annos duravit, Constantii regno, dicatque *alios citius, alios serius esse obsecutos* : nec de reali Episcoporum hæresi ; cum in priori textu dicat tantum, *omnes temporibus obsecutos in fraudem incidisse* ; in posteriori autem, *mente haudquaquam esse prolapsos* ; addatque : *et si non flammæ, fumi certe participes fuerunt.* Præterea NAZIANZENUM exaggeratius hic locutum interpretari licet, cum in Orat. 43. n. 47. de Valentis Imp. temporibus etiam dixerit, *Basilium solum reliquum fuisse* : quæ nisi secundum auxin oratoriam dicta accipias, penitus falsa probat ipse BASILIUS, ep. 72. (al. 251. n. 4.) et 75. (al. 204. n. 7.). Ecclesiæ universæ fidem et communionem attestans. Similem hyperbolem NAZIANZENI habes in Or. 42. n. 27. ubi ait : *Vale Oriens et Occidens, pro quibus et a quibus oppugnamur etc.*

R. Ad prob. part. 2ª. Quoad GREGORIUM responsio jam data est ; quoad relatam historiam autem negatur factum. De hac enim persecutione solus Socrates affirmat ; Sozomenus tantum timide refert : *Nonnulli prædicant, Imperatorem dedisse facultatem Valenti etc.* ; reliqui omnes, Athanasius maxime, Hilarius, Rufinus, Lucifer Calaritanus, altum silent. Ad hæc Socratis narratio plura complectitur falsa. 1º. enim subscriptionem formulæ factam a singulis Episcopis suis in sedibus vult ; quia Conc. Ariminense contra voluntatem Constantii dimissum, nec a congregatis subscriptum fuerit. 2º. Ejectionem Liberii et Felicis intrusionem post Conc. Ariminense statuit. Ipsam 3º. persecutionem tali tempori, nempe an. 360. assignare debet, quo tamen

Italia et Gallia a S. HILARIO edocta et confirmata resipuit, et facta jam Juliani defectione, violentiæ a Constantii Episcopis inferendæ locus non amplius relinquebatur. Demum eum qualiscumque illa persecutio intra unam Italiam stetisse a Socrate dicatur, tametsi verum narraverit, non probat tamen partem Ecclesiæ potissimam errasse.

335. *Nec dicas* 3º. Universam Ecclesiam, quin et orbem universum Ariana hæresi infectum probat 1º. RUFINUS in Histor. scribens, post Conc. Ariminense faciem Ecclesiæ penitus deformatam. 2º. VINCENTIUS LIRINENSIS in Commobit. n. 4. ait : *Arianorum venenum non jam portiunculam quamdam, sed pene totum orbem contaminaverat, adeo ut prope cunctis Latini Sermonis Episcopis, partim vi partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur.* 3º. HIER. L. cont. Lucif. alias cit. scribit : *Tunc ingemuit orbis, et Arrianum se esse miratus est ; ergo.*

R. N. A. Phrasis RUFINI non exigit Ecclesiæ totius errorem aut Episcoporum hæreticas professiones et dogmata ; sed salvatur lapsu multorum Præsulum, hæreticorum dominatu et vexatione, necessitate denique communicandi cum hæreticis. VINCENTII LIRINENSIS dictum manet verum, si de Ariana hæresi in varias Orientis et Occidentis Provincias successu temporis propagata, intelligatur ; uti Orosius L. 7. hist. c. 21. Jornandes c. 19. de peste per orbem diffusa loquentes accipiuntur ; quin utrobique aut omnes Provinciæ, aut Provinciarum præsides et urbes infectæ dicantur. Præterea dicti universalitatem restringunt voces *pene* et *prope* adjectæ, item *Episcoporum Latini Sermonis* solorum appellatio, ac tandem facta *fraudis* et *deceptionis* commemoratio. Demum plus esse verbis dictum quam vere significatum, probant principia LIRINENSIS eo in opere vulgata : secundum quæ quoniam Catholicum est, *quod semper, quod ab omnibus creditum est*, numeri autem paucitas errore prodit ; non potuit tantam hæresi tribuere generalitatem. Assertum HIERONYMI et hyperbole est et Episcopos re ipsa hæreticos non fuisse verbo *miratus* addito probat. Etsi vero, cujus tamen contrarium in probatione ostendimus, supponatur Patres Ariminenses ab Hieronymo fuisse habitos pro hæreticis, periodo illa objecta voluit duntaxat significare consternationem Universi et admirationem, quod ipsi tribueretur hæresis Ariana, Ariminensibus aspersa ; quemadmodum simili metaphora in Prol. ad Ezech. de terrore hominum ad Romæ excidium dixerat ; *In una urbe totus orbis interiit.*

336. *Observe.* Quibus argumentis ARIMINENSEM formulam ostendimus Catholicam, SELEUCIENSEM etiam ab hæresi esse immunem comprobatur ; cum et in symbolo sit eadem veritatis professio, et in anathematis non minor errorum execratio, et in abstinentia ab *δμοουσιῶ* excusatio similis : quibus accedit benignum ac favens tum ATHANASII et HILARII LL. de Syn. tum Socr. L. 2. c. 39. 40. et SOZOMENI L. 4. c. 22. de Seleuciensibus testimonium ; HILARII denique in illud Concilium admissio et Gallicanorum postea Episcoporum cum Orientalibus per synodicas litteras communicatio. Non ita expeditum est, an fides Seleuciensium etiam interna casta omnino fuerit, variantibus nempe sententiis tum de præcipuorum eo in Concilio Episcopo-

rūm, quos Semiarianos appellavimus, fidē, tum de ipsius Semiarianismi notione:

Meletii enim, Antiocheni et Basilii Ancyranī Orthodoxiam ATHANAS. in ep. Encycl. cont. Arian. et de Synod. n. 41. Silvanī Tarsensis THEODORET. L. 2. hist. c. 27., Eleusii Cyziceni HILAR. L. de Syn. n. 63. adstruunt: Semiarianos autem cum Macedonianis confundere videntur PATRES Concilii Generalis secundi et PHILASTRIUS; quorum illi Can. 1. (Labb. t. 2. p. 945.) dicunt: Oportet anathematizari omnem hæresin, et specialiter Eunomianorum sive Anomæcorum, et Arianorum sive Eudoxianorum, et Semiarianorum sive Spiritus sancti adversariorum: hic vero Hæres. 67. inquit: Semiariani... de Patre et Filio bene sentiunt, unam... divinitatem esse credentes; Spiritum autem non de divina substantia, nec Deum verum, sed factum atque creatum spiritum prædicantes. E contrario EPIPHANUS Hæres. 73. et HIER. in Chron, Meletium, Basilium et alios heterodoxiæ arguunt: præterea Semiarianos distingui a Macedonianis, et eorum errorem versari circa Filii divinitatem, docent Sulp. SEVERUS, L. 2. hist. EPIPH. l. c. et AUGUSTIN. etiam L. de hæres. n. 51. Semiarianos, inquit, qui similis essentiæ dicunt Filium, dicit tanquam non plenos Arianos, quasi Ariani nec similem velint, cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.

Hac in discordia utrique parti aliquid concedendum videtur. Itaque Meletium, Basilium, Silvanum et Eleusium pluresque, alias Semiarianos dictos, reipsa fuisse orthodoxos admittimus; quoniam vero et Eusebianis conjuncti fuerant, et reformandis fidei formulis satagebant, et a voce *ὁμοούσιος* pertinacius abhorruerant, non sine fundamento mitigati Arianismi suspicionem incurrebant, adeo ut Semiarianorum duces communius haberentur. Semiarianos reliquos in dogmate successu temporis variasse putamus, ita quidem, ut post Constantii Julianique fata, dum ex omni Oriente et Occidente ad Jovianum mitterentur synodicae litteræ cum Nicæna formula *consubstantialis* vocem professæ et prædicari exprimique jubentes, Semiariani e suis velut recessibus expulsi et errorem nullo jam verborum artificio dissimulare valentes eundem vel sincere deposuerint, vel maligno silentio contexerint, ex altero de Spiritus sancti divinitate dogmate, necdum adeo illustrato et delimito, subsidium suis partibus allaturi. Unde si Sulp. SEVERUS, EPIPHANIUM, et AUGUSTINUM de *Semiarianis* ante illam conversionem, PATRES CONSTANTINOPOLITANOS et PHILASTRIUM de iisdem post eam intellexeris, neutra ex parte, quod aliqui faciunt, contra debitam illis auctoribus fidem ac reverentiam peccabis.

CAPUT IV.

DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

Veritatem hanc sive existentiam nec *Gentili* immediate probari, nec *Judæo* clare ostendi posse, ex iis, quæ sub cap. prioris initium diximus, colligitur. Cum enim mysterium hoc rationem naturalem superet, ac in Veteri Testamento non expresse omnino ac distincte penitus enuntietur; et qui revelationem parum veneratur, gentilis, et qui antiquas tantum tabulas respicit, Judæus, pia destitutus affectione vix unquam captivabit intellectum in obsequium fidei de tanto arcano. Non omnis tamen methodus deest, qua uterque ad divulgatam adeo et necessariam nunc veritatem perducatur. Nam si ostendatur alteri, fidem Christianam esse evidenter credibilem et credendam, alteri Messiam a Deo promissum verum esse Deum jamque advenisse; ex fide illa ac doctrina Christi ambo deinceps haurient haud difficulter præsentis veritatis documenta. Quoniam vero geminum illud caput ex *Tractatibus aliis* crui et confirmari oportet; utrumque vel tanquam postulatum hic interim admittendum est, ut contra illos Trinitatis hostes argumentis proxime proferendis pugnetur; vel eo non impetrato, contra hæreticos duntaxat firmabitur dogma controversum, satisque erit difficultatibus obmovendis respondisse. Dabit autem disputationis universæ materiam Personarum TRINITAS, DIVINITAS, et CONSUBSTANTIALITAS.

ARTICULUS I.

AN IN DIVINIS SINT TRES PERSONÆ?

337. *Nota.* In dogmate præsentī non minus ac in sequentibus stabiliendis tria nobis cavenda duximus. 1º. ne repetantur dicta; unde argumenta, quæ tum ex V. T. tum ex Traditione Patrum Antenicænorum jam prolata fuerunt, non recitabuntur iterum: 2º. ne occupentur dicenda; hinc nec accuratiorē Personæ in divinis notionem persequemur, ejus nomine rem per se subsistentem accipere contenti, nec Verbi et Filii differentiam attendemus, promiscue utrumque usurpaturi: 3º. ne omittantur exprimenda; quare cum Antitrinitariorum hac ex parte error numerum, distinctionem et proprietatem personarum neget, distinctis contra eum assertis veritatem probatum imus.

338. *Dico I.* Dantur in Divinis Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sancti.

Prob. Matth. 28. 19. dicit Christus: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* 1. Joan. 5. 7.